

De splenitide chronica : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Arminius Mangold.

Contributors

Mangold, Armin.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Nietackianis, 1836.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gwbmf7hy>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

D E
SPLENITIDE CHRONICA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILIELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XX. MENS. APRILIS A. MDCCCXXXVI.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

ARMINIUS MANGOLD

HEMIPOLENSIS.

OPPONENTIBUS:

H. STUMPPF, MED. ET CHIR. DR.
O. MASSALIEN, MED. ET CHIR. DD.
M. HEYLAND, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

SPLENTIDE CHRONICA.

EDITIONE TERTIA

IN AUSTRIA IMPERIA

1790

CONSTITUTIO ET LEGES
IMPERII AUSTRIACI

IMPERII AUSTRIACI

IMPERII AUSTRIACI

Digitized by the Internet Archive
in 2016

V I R O

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO,
EXPERIENTISSIMO

JOS. BUETTNER,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICORUM CASTRENSIUM REIQUE OMNIS MEDICAE EXERCITUS REGII BORUSSICI PRAEFECTO SUMMO, REGI A CONSILIIS INTIMIS, INSTITUTI REGII MEDICO - CHIRURGICI FRIDERICI GUILIELMI ATQUE ACADEMIAE MEDICO - CHIRURGICAE MILITARIS DIRECTORI, ORDINIS REGII DE AQUILA RUBRA IN SECUNDA CLASSE CUM QUERNA FRONDE, DE CRUCE FERREA IN CLASSE SECUNDA, ORDINIS CAESAREI RUTHENICI ST. WLADIMIRI NEC NON ST. ANNAE, ORDINIS SUECICI VASANI ORDINISQUE BELGICI LEONINI EQUITI AURATO MULTARUMQUE SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI ETC. ETC.

SUMME DE SE MERITO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Jam *Hippocrates* quinque lienis describit morbos, quorum in numero etiam est inflammatio chronica, ejus symptomata gravissima scriptis suis (de internis affectionibus cap. 33—37) pertractavit. Pauca tantum et theoreticas plerumque subtilitates hac de re habent: *Galenus*, *Aetius*, (1) *Aretaeus*, *Caelius Aurelianus*, et adeo *Alexander* (2) *Trallianus*. Hicce lienis morbis adnumerat: lienem frigidum, lienem calidum, lienem emphysematicum, scirrhum et inflammationem lienis, quam posteriorem iterum dividit in phlegmonem sanguineam, biliosam, atrabiliosam et pituitosam. Ex senioribus medicis praecipue (3) *Sennert* et (4) *Rivière* huic morbo multam operam et diligentiam tribuerunt. Sed quae postea *Boerhave* et *Suitenius*, *Sauvagesius* et adeo *P. Frankius* hac de re scripserunt, eo tantum consilio fecisse videntur, ne plane e systemate pathologico rejicerent splenitidem.

(1) Aretaei diuturn affect. Lib. I. c. 14. p. 50.

(2) Trallian. Opera LVIII. c. 10—23.

(3) Sennert prax. med. Lib. III. p. IV. c. 5. p. 421.

(4) Rivière Op. L. B, 1663. prax. med. p. 198.

Recentioribus temporibus (1) *Marcus* primus medicorum animos ad hunc morbum advertit et novissimis temporibus praecipue (2) *Grotanelli* et (2) *Heusinger* hac de re optime meriti sunt.

Non mihi hoc loco arrogem, cum talibus viris celeberrimis libellulum comparare, quem equidem hac de re conscripsi et composui. In nosocomio caritatis jam plures per menses medici inferioris munere fungens, nonnullos quamquam paucissimos, morbi nostri inveni casus, qui non parvi momenti mihi videbantur, cogitationibus et studio ansam praebebant. Contuli quae viri supra laudati in lucem ediderunt, et quum tempus jam instaret, opusculum aliquod conscribendi, non ineptum putavi, comparationes et observationes hac de re in publicum edidisse; sed iterum cogitetur quaeso, novas res afferre nullo modo in animo me habuisse, quippe quod et vires et tempus tironi concessum multum excedat. Quum observata confirmare tantum et comparare mihi propositum sit, benevolentiam et indulgentiam impartiat lector, si quis est, etiam atque etiam rogare velim.

(1) *Marcus*. Ephemeriden der Heilkunde Tom. III. H. 1. p. 1.

(2) *Grotanelli*. Animadversiones ad varias acutae et chronicae splenitidis historias. Florent. 1821.

(3) C. F. *Heusinger*. Betrachtungen und Erfahrungen über die Entzündung und Vergrößerung der Milz. Eisenach 1820. — Nachträge 1823.

SYMPTOMATA.

Certissimum fere symptoma, quod raro abesse videtur, dolor est, qui in hypochondrio sinistro sentitur, et pressu, tussi, profunda respiratione et corporis motibus augetur. Qui cum dolor in splenitide acuta vehemens, a regione inde hypochondriaca sinistra usque ad humerum sinistrum vergere soleat, in chronica magis obtusus et sensu gravedinis molestae in liene aggreditur. Nonnulli scriptores, *Johnston*, *Pleischel* et *Tulpius* aegrotos observabant, qui se pulsante dolore in hypochondrio sinistro affici querebantur, et in quibus pulsationes manu imposita facile percipi poterant. — Imprimis memoratu digna *Tulpii* (1) observatio est, qui exemplum narrat vix credibile, ubi lienis pulsus spatio interjecto triginta pedum audivit.

Deinde tumor in hypochondrio sinistro a plerisque scriptoribus certum symptoma ducitur; at tumor

(1) *Tulp.* Observat. med. Lib. II. c. 28.

magnitudine variat, interdum tam exiguus est, qui manu cognosci non possit; tumoris quoque situs varius est, aut magis sursum costas attollit, et ita pulmonem sinistrum comprimit, aut magis deorsum abdomen implet. Quod ad consistentiam tumoris attinet, modo lapidis instar durus, modo mollis digito tangenti renitens aut non renitens sentitur. — In dijudicando et inquirendo tumore in regione hypochondriaca sinistra collocato, aegrotum in vario situ positum observari semper necesse est, quum aliter tumores cystici, scirrhi, hydropes saccati, tumores partium lienis adjacentium et tumores lienis facile confundi possint.

Functio laesa in splenitide nullo modo simplex existimari potest; quum enim vis physiologica lienis non simplici tantum functione constet, sed lien potius ceterorum viscerum sanguificationi inservientium actiones adjuvare videatur, morbi etiam splenis perturbationes totius assimilationis gignere solent.

Inprimis aegroti dyspepsiam queruntur, sensum ardoris, cum in praecordiis tum in toto abdomine, pyrosin, cardialgiam, taedium ciborum praecipue solidorum. Cardialgia post coenam semper fit vehementior et saepe vomitu cibos ingestos reddere cogit; quod symptoma *Heusinger* saepe observavit, ubi lien cum diaphragmate, hepate, aut ventriculo coaluerat.

Interdum hae dyspepticae affectiones, ut complures scriptores comprobant, insanabili fami cedere dicuntur, quam tamen *Heusinger*, *Marcus* et *Grotanelli* nunquam observarunt, et omnino hae observationes fame canina potius melancholicorum, hypochondriaco-

rum et intermittenti feбри quartana laborantium inniti videntur.

Insatiabilem sitim certum symptoma esse, omnes scriptores consentiunt, et epitheta quoque, quae huic siti adnexa sunt, a *Jungkero*: „sitis admodum tensa“, a *Morgagni*: „sitis inexstinguibilis“, a *Cammerlaender*: „inplacabilis“, a *Frank* et *Marcus*: „sitis magna“, observatoribus imprimis memorabile symptoma fuisse ostendunt. — Lingua plerumque muco crasso et albo oblecta apparet, nonnulli aliquantulum rubescentem, alii non commutatam se reperisse contendunt; magis adhuc variabilis est sapor in ore, de quo aegroti queruntur, modo acidus, modo amarus, modo dulcis est. — Multi etiam auctores foetorem ex ore, gingivas tumescentes, pallidas aut maxime rubras, et facile aeque ac scorbuticas sanguinem mittentes observaverunt. Quibus magni lienes sunt, inquit *Celsus* (1), his gingivae malae sunt, os olet, aut sanguis aliqua parte prorumpit.

Quod ad alvum attinet, plerique auctores pertinacem obstructionem in splenitidis chronicae signis afferunt. *Piso*: dura alvus splenitidis familiaris, *Frank*: obstructio alvi pertinax. Interdum etiam diarrhoea observata est modo salutaris modo pernicioſa. De qualitate urinae dissentiunt auctores. *Hippocrate* teste in febribus continuis et irregularibus urina aquosa lienem affectam esse nos docet. *Tulpinus* urinam aquosam, *Marcus* subflavam, *Reichelt*

(1) *Celsus* de re med. lib. II, cap. VII.

(2) Ἐν μακροῖσι πυρετοῖσι πλανώδεσιν λεπτῶν οὐρῶν οὐ γήσιες σπληνώδεις *Coac. Praenot. A. 594.*

rubram, *Bischoff* mucoso sedimento mixtam observavit.

Praevalens totius lateris sinistri affectio, quae quidem etiam in aliis et praesertim in morbis cordis observatur, in splenitide tam crebro animadvertitur, ut signum satis grave praebeat.

Ita nimirum, si in splenitide anasarca exoritur, primum pes sinister intumescit, saepe dolores vagantes et trahentes et sensus formicantes in sinistro pede et brachio observantur; saepe etiam gena sinistra sola rubra atque ardens inventa esse dicitur. *Horn* (1) enarrat casum, quo aeger femur sinistrum elevare non potuit. Dolores sub scapula sinistra, compressione auctos jam *Hippocrates* affert. Praeterea aegroti queruntur de capitis doloribus, pulsantibus, trahentibus, praecipue in sinistro capitis latere, in fronte, vertice et occipite: accedunt vertigo, et plures sensuum errores, visus dimidiatus, micans, tintus aurium.

Anxietas, palpitatio cordis, lipothymiae, constrictio colli, omnia denique hypochondriae et hysteriae symptomata ab auctoribus afferuntur.

Pectoris oppressio et anxietas plerumque adsunt, et originem ducunt ex pressione, quam lien increscens in pulmones exercet.

Ab eadem fere causa etiam spasticae diaphragmatis affectiones originem ducunt, quae imprimis a *Sauvagesio* observatae sunt, risus Sardonicus etc. Palpitatio cordis, lipothymia, affectiones spasticae et

(1) Archiv f. d. m. E. 1815. I. Heft. p. 78.

insultus epilepticae a *Bree* (1) et *Tulpio* inter splenitidis signa enumerantur. *Tulpius* (2) juvenem insultibus epilepticis correptum enarrat, dummodo regio lienis digito tangeretur.

At etiam mentis indolem splenitide sicut aliis morbis abdominis mutatam videmus. Multi homines, hilares atque vivaces a medicis observati splenitide exoriente tristes et ad fletum propensi redditi sunt. Magna etiam fuit apud veteres lienis auctoritas et existimatio, quandocunque de origine et sede eorum morborum, qui praeter corporeas functionum mutationes, ipsi quoque menti ejusque operationibus, vi mutui, licet inexplicabilis, commercii imperare deprehendebantur, inciderent quaestiones.

Hinc ab intemerata splenis indole risum laetiamque, a contrario vero ejusdem statu fletum, moerorem curasque anxias oriri publice adsertum est. Quotusquisque est, qui tritum illud, splen ridere facis ignoret? Eandem ob causam quoque ii, quorum lien vitio quodam laborare putabant, apud Graecos Romanosque spleniticorum aut lienosorum nomen meruerunt. — Maxime etiam propensio ad ceteros animi affectus ingratos, ut ad terrorem, iracundiam saepe adest, mortem verentur aegroti, tanquam inevitabilem, et optant, quod autem *Marcus* contendit, pleurosque eorum qui necem sibi ipsi afferant, lienis morbo laborare, vix credi posset.

De typo febris splenitidem chronicam comitan-

(1) Medico-chirurg. Transact. Vol. III. p. 166.

(2) Observat. med. lib. I. c. 9. p. 32.

tis scriptorum sententiae valde discrepant. *Hippocrates* (1) incipiente morbo febrem continuam in decursu remittentem fieri dicit. *Marco* auctore febris subcontinuae, *Pleischelo* affirmante subcontinuae remittentis typo praedita est. *Grotanelli* splenitidem chronicam comitari saepe catarrhales aut gastricas intermittentes febres avert. Febres intermittentes saepe a liene proficisci inde ab *Hippocrate* fere omnes medici crediderunt, hae febres saepissime typum quartanum, rarius quotidianum, tertianum et tertianum duplicem obtinent. — Interdum etiam febris plane deest, et tantum morbo accrescente apparet. De pulsus natura scriptores non consentiunt, alii pulsum intermittentem, alii suppressum, alii mollem reperiabant, nonnulli etiam eum in utroque latere aliter se habere contendunt.

Saepe tussis sine sputis adest, cui interdum pectoris dolores prementes, difficilisque respiratio se congregantur. Dedolatio tanta est, ut statim vel laboribus levissimis aegri fatigentur, simulque somnolenti esse solent, somnus autem ipse maxime vulgo inquietus, anxiiis somniis interruptus, plerumque non recreat aegrotum, imo magis fatigat. Qua re fieri non potest, quin macies et prostratio virium in diem crescat, et habitus ille exoriatur, quem jam veteres medici lienosum nominaverunt. Facies enim collapsa, peculiarem colorem, ex viridi atro in subflavum praebens a multis veteribus auctoribus certum signum lienitidis chronicae et reliquorum splenis morborum af-

(1) Hipp. de intern. affect. 21.

fertur. Splenem revera maxime in cutis colorem influere, imprimis ostendit exemplum, a *Zacuto Lusitano* (1) enarratum, quo mulier sensim sensimque colorem paene plane nigrum adepta erat. Medici splenis obstructionem suspicabantur, quamquam alia signa non aderant; aegrota serius feбри correpta obiit, et obductione facta splen omnino desiderabatur. Dum veteres medici duas varias species coloris peculiaris lienosi distinguunt, recentiores et inter illos etiam *Bartels* unicum tantum et quidem lividum et subviridem colorem, qui praecipue in regione circa oculos animadvertitur, certum signum morborum lienis esse existimant. — Quod ad ceteram cutis qualitatem, temperies in splenitide chronica aut naturalis aut minuta est, minuta, *Hippocrate*, *Gohlio* et aliis testibus, in pedibus animadvertitur. Exanthemata et imprimis erysipelas haud raro exoriri videntur, ita *Corvisart* erysipelas pustulosum, *Alibert* (2) pluries zonam observavit. Ulcera, cutanea et telae cellulosa in cruribus jam *Hippocrates*, *Celsus* et *Aretaeus* exoriri viderunt, imo *Tulpius* (3) ea critica esse putavit.

Mulierum catamenia incipiente inflammatione maxime atypica, saepe non profluunt, remota autem, maximis vulgo doloribus et copiosa apparere solent. Durante splenitide, conceptio non impedita raro tamen observata est; plerumque si graviditas adest,

(1) Praxis admiranda. Oper. Tom. II. p. 139.

(2) Alibert nosolog. naturelle p. 180.

(3) Tulpii obs. med. Lib. I. c. 9. p. 32.

signa inflammationis remittunt. *Grotanelli* graviditate morbum plane esse sublatum docet.

Inter gravissima symptomata denique profluvia sanguinis enumeranda sunt, quae in splenitide chronica tam crebro observantur, ut jure ad symptomata necessaria numerari mereantur.

Epistaxis, quam medicinae parens *Hippocrates* veteresque medici e sinistra nare faustam auspicabantur, saepe exoritur, et quidem modo critica modo symptomata. Quoad salutarem epistaxis naturam *Grotanelli*: Utique, inquit, epistaxis bona et salutaris censenda erit, si cephalalgiae cessatio, sitis tolerantia, corporis quies et gustandi potestas sequitur. Et etiam in chronicis quoque inflammationibus lienis epistaxin bonam comperi, medebarque nuper lienoso viro, qui hoc morbo et febris liberatus est, non sine auxilio moderatae epistaxis, quae sex circiter mensium spatio bis terve in hebdomade guttatim e naribus apparuit.

Multo autem frequentior vomitus cruentus apparet, quem veteris medici signum pathognomonicum ducebant. Quamvis recentioribus temporibus *Pleischel* et *Marcus* eandem opinionem habeant, tamen in nonnullis ab *Heusingero* observatis casibus omnino non adfuit, in aliis, postquam aegroti complures jam menses splenitide laboraverant, apparuit. Symptomata antecedentia, quae vomitum cruentum indicare solent haecce sunt. Ad auctis omnibus morbi symptomatibus praecipue doloribus in regione hypochondriaca sinistra, et accrescente anxietate, subito, postquam breve tempus sensus gravedinis et ardoris in regione epiga-

strica et sapor dulcis in ore antecessit, signa profluvii sanguinis in partes internas profusi intrant. Summus languor, arteriarum pulsus exigui, sudores frigidi, dein nausea, vomituriatio et ipse denique vomitus sanguinis nigri, vel fluidi, vel conglobati. Copia sanguinis evomiti varia est, quandoquidem aut uno impetu aut intervallis brevi tempore subsequentibus evomitur. Vomitu peracto aegrotus evanescere aut sopore opprimi solet, quo quamquam admodum defatigatus, sed fere morbo vacuus, solvitur. Etiam si magnam sanguinis profusionem perpessi, aegroti interdum tantopere vires reficiunt, ut paucos post dies lectum relinquere possint. — *Heusingero* teste vomitus cruentus in splenitide chronica vario modo gigni potest. Saepe tum apparet, cum praeter lienis inflammationem arteria simul coeliaca aut venae portarum rami inflammati sunt, sed tum etiam si intumescente et indurato liene, sanguini aditus non patet, facile vomitus cruentus provocatur, quod nimis affluente sanguine fit, ut ventriculi vasa (arteriae breves) rescindantur. *Frid. Hoffmann* (System med. rat. P. III. Sect. I. c. CVII. §. 32.) hac de re ita: Nullibi, inquit, canales sanguiferi facilius desiliunt quam in sinistra ventriculi parte vasa sic dicta brevia. Hoc autem si evenit vomitus sequitur, saepe effrenis sanguinis nigri foetidi atque grumosi, qualis etiam per alvum secedit, et licet ejectu stomachum aggravante sanguinis mole symptomata tantisper levare videantur, repetit tamen ut plurimum vomitus et aegri inter paucas horas inter lypothymias abdormiscunt. Cognoscitur hic morbus ex inappetentia, animi dejectione,

magna circa praecordia anxietate, vomituritione ad animi usque deliquium, ardore et aestu in regionis epigastricae sinistrae maxime latere, et familiaris est foeminis post quinquagesimum maxime annum diuturno moerore confectis. — Vomitus cruentus denique hoc modo enasci potest, quod lien dilatatus atque induratus venas comprimens, sanguinis ex ventriculo refluxum non patitur, quod imprimis *Cullen* et *Burserius* putant. *Burserius* (1) ita: Frequentior ait causa vomitus cruenti est lien obstructus, vasa enim brevia sanguine restante oppleta dehiscunt et contentum liquorem in ventriculum evomunt.

Cum vomitu cruento saepe alvus cruenta simul apparet, quae quidem aut sanguine in ventriculum profuso et per pylorum in tractum intestinorum descendente, aut systemate venae portarum aut venarum intestinorum tenuium parte simul inflammata, enascitur.

DIAGNOSIS.

Nullum omnium symptomatum, pathognomonicum aestimari potest, concursu tantum complurium, una cum accurata originis et decursus observatione, certam licet constituere diagnosin. Et ipse lienis tumor, qui manu in pariete abdominali cognosci potest, certissimum quidem symptoma, cum tumore partium adjacentium hepatis, mesenterii, pancreatis confundi potest, quod veteres medicos saepe fefellit. *Hippocrates* ipse tumorem lienis, qui subito valde decrescit et

(1) Instit. med. pract. Vol. IV. pars II. p. 325.

augetur describit, quem nil nisi flatulentiam coli fuisse probabile est. Si tumor non adest, morbi cordis praecipue sinistri sunt, qui permulta symptomata cum splenitide chronica participant. In utroque morbo intermissiones, anxietatem, respirationis molestias, palpitationem cordis et plethorae venosae signa reperimus, et tantum sedes dolorum in regione hypochondriaca sinistra, habitus lienosus, saepe haematemesis de vera morbi natura nos certiores faciunt. Atque chronicae inflammationes partium vicinarum, hepatis, renis sinistri, persaepe difficillime a splenitide chronica sunt distinctu.

Symptomata quoque, quae plethora abdominali provocantur, chronicae splenitidis symptomatibus valde affinia sunt, nisi quod in illa semper symptomata localia et praevalens sinistri lateris affectio desiderantur. Persaepe etiam fit, ut febres intermittentes, imprimis endemicae, a splenitide vix distingui queant, verum tamen in splenitide raro dolores in regione hypochondriaca sinistra deficient, deinde intermissiones haud facile plane integrae deprehenduntur, atque febris usitatis remediis febrifugis vix pelletur.

DECURSUS ET EXITUS.

Decursus splenitidis chronicae est valde incertus. *Heusinger*, qui varias splenitidis species distinguit, 1) capillarem, 2) arterialem acutam, 3) venosam acutam, 4) arterialem chronicam, 5) et venosam chronicam, decursum singularum specierum accuratissime describit, tamen ipse fines, quos doctrina systematis causa determinat, re vera non existere confitetur. Et

profecto haec accurata distinctio *Heusingeri* medico practico non magni momenti esse videtur. Existunt autem nonnullae decursus splenitidis chronicae varietates, quae diversa natura causarum efficientium procreantur. Quod si leves sed saepius repetitae regionis hypochondriacae sinistrae insultationes, aut aëris temperies morbum efficiunt, primum splen intumescere incipit, sed mollitiem adhuc servat; signa febrilia exoriuntur, quae si desinunt, lien aliquid intumefactum est. Serius aegri moesti fiunt, exoritur habitus lie-nosus et sensim omnia splenitidis chronicae symptomata procedunt, ita ut morbi initium accurate destinari non possit. Si autem animi pathemata, aut ratio vivendi aegri morbum procreant, initium et decursus fere prorsus inversa sunt. Moestitia, angor, defatigatio artuum, et signa dyspeptica diu antecedunt, denique dolores in regione hypochondriaca sinistra accedunt, et lien intumescere incipit. Ceterum morbus diu, menses et annos perferri potest, cum symptomata modo decrescant, modo augeantur, nunquam autem morbus sensim sensimque per se solvitur sed plerumque crises apparent. Interdum crisis fit per vomitum cruentum satis largum, saepe autem hic vomitus cruentus tantum symptomaticus est, et mortem aegroti accelerat. Interdum etiam haemorrhoidali fluxu morbus solvitur, quod tum certe fieri solet, si fluxu suppresso inflammatio exorta est. *Grotanelli* ita: Haemorrhoidalis, inquit, fluxus pariter salutaris in splenitide observatus fuit, sed hoc fortuitum est, et peculiare naturae molimen, proprium scilicet illorum, in quibus haemorrhoides exstant, vel fluere so-

lent, non ordinarium quidem splenitidis, licet ad sanitatem contulerit, sicut alias contulit in chronica splenitide immodicus lochiorum fluxus. Sudores critici fere nunquam observati sunt. Morbis autem in cute exortis splenitis interdum propellitur. Ulcera crurum saepe salutaria observata sunt, neque minus morbus interdum diarrhoea solvitur. Jam *Hippocrates*, si aegri lienis morbo laborantes dysenteria afficerentur, id bonum esse signum ait, quae dysenteria autem, si per longum tempus perseveraret, aegros consumeret.

Alius splenitidis chronicae exitus sed multo rarior est suppuratio, cujus initium hisce signis indicatur: Si febris, quamvis mitis, absque ullo ut plurimum capitis dolore vespertinis horis, vel per noctem superveniat, ac exacerbetur, si visceris dolor et calor adsint, et si aegrotus a modico quoque cibo molestiam in stomacho ferat, vel calor in volis manuum et plantis pedum exsurgat, si corpus interim attenuetur, tussicula, ac sitis individua comes sit noctis, et identidem calor plumbeus in ore, pallida fere semper sit facies, alvus modo adstricta, modo soluta, huic homini certe pus colligitur in liene. Haec autem symptomata non semper ita conjunctim neque eo ordine apparent. Pus in liene collectum aut in cavum abdominis, aut in ventriculum, aut in colon, aut per musculos abdominis aut per umbilicum effunditur. Plurumque aegroti febris hectica et hydrope consumuntur, si splenitis in suppurationem transit. — Praeterea etiam mors vel nutritione plane perturbata, vel haematemesi vel aliis morbis accedentibus adduci potest.

Ad diversum exitum splenitidis chronicae, dege-

nerationes splenis diversae adhuc enumerandae sunt, quales in sectionibus cadaverum reperimus, et quae saepe usque ad senectutem sine magna molestia feruntur.

DE CAUSIS.

Nonnulli auctores dispositionem hereditariam et peculiarem praedisponentem corporis constitutionem commemorant, ejusque signa describunt, qui autem mihi lienis affectionem jam praesentem ejusque symptomata dispositionem habuisse videntur. Media vero aetas proclivitate ad splenitidem chronicam conjuncta est, et quamvis *Haller* lienis inflammationem et supurationem in puero quatuor annos nato observaverit, *Morgagni* et *Bonnet* plura afferant splenitidis casus in senibus observatos, tamen saepissime adultos corripit. — Major est praedispositio in mulieribus quam in viris, saepe scilicet splenitis in foeminis eo tempore observatur, quo menses cessare solent. Etiam *Sennert*: Afficitur, inquit, et lien et hypochondria ex utero et quidem frequentissime. Ac proinde lienosae ac hypochondriacae ex utero eae foeminae imprimis evadunt in aetate jam matura, quibus juvenibus menses non satis copiosae fluxerunt. — Terrarum conditio multum valet ad splenitidem procreandam; in regionibus humilibus et paludosis morbus jam ab antiquissimis temporibus saepissime observatus est. In Carolina australi inter quinque incolas duos lienosos esse *Chalmers* contendit. — Tempestas humida atque pluvialis non solum splenitidem sed morbi jam praesentis, exacerbationes procreat. — Inter anni

tempora autumnus morbum saepissime gignit, qua re *Hippocrates* splenitidem inter morbos autumnales enumerat. Eodem modo *Grotanelli*: Nullo modo, inquit praetermittenda est consideratio, splenitidem non esse unius cujusque anni partis sed autumnalis praesertim et hiemalis sive in frigida et humida tempestate vicissitudinibusque aëris exoriri facilius quam cetero temporum decursu. Pertinaces quoque febres quartanae, quae saepe cum intumescencia et chronica inflammatione lienis conjuncta sunt, in nostris regionibus autumnali tempore saepissime observantur. *Heusinger* morbos lienis autumnno maxime incidere hoc modo exponit: calore aestatis, inquit, sanguis valde diluitur et majorem quantitatem continet seri, quam hieme. Eodem tempore hepatis et lienis actio valde aucta est, qua re haec intestina causis externis obnoxiiis facillime laeduntur, quod saepe autumnali tempore aestatem sequente evenit. Inter opifices ii praecipue lieni obnoxii sunt, qui stagnationes et congestiones venosas abdominis procreant, uti vitae ratio sedentaria, qua continua abdominis praesertim hypochondriorum compressio efficitur. Inter victum auctores imprimis leguminosa, radices solani tuberosi, farinosa, proferunt. Nec non abusus spirituosorum, et praecipue spiritus frumenti *Morgagni*, *Baader* et *Soemmering* testibus saepe causa splenitidis esse videtur. Laesiones vehementes regionis hypochondriacae sinistrae plerumque splenitidem acutam, modicae vero

et saepius repetitae insultationes chronicam procreare solent. — Animi quoque perturbationes praesertim deprimentes inter causas enumerandae sunt. Ex intempestivo aut excedenti usu corticis peruviani in febribus intermittentibus *Grotanelli* (1) lienis inflammationem chronicam exoriri saepe vidit; *Broussais* etiam dedit nobis historiam cujusdam militis tertiana febris laborantis, quem corticis usus ita pessumdedit, ut post nonnullas, variasque morbi mutationes trium mensium spatio, chronica splenitide cum ingenti lienis tumore inde excesserit. Saepe inflammationes partium vicinarum ad lienem transeunt, uti contigit in sinistri pulmonis inflammatione, in hepatitide in paraphrenitide, gastritide, et praesertim in peritonitide non raro observare. Interdum etiam splenitis quasi metastatica observatur, ita *Horn* juvenem viginti annos natum splenitide febris typhosae conjuncta obiisse vidit, quae suppressis morbillis exorta erat; nec non saepe suppressione pedum ulceribus habitualibus, menstruorum et haemorrhoidum fluxu exoritur. *Reil* et *Portal* denique jecoris et pancreatis indurationem, si talem gradum acceperit, ut aditus sanguinis in has partes impeditus esset, et sanguis ad integrum adhuc lienem flueret, causam efficientem commemorant. Quod autem tum solum fieri potest, si induratio ista brevi perfecta est, in contrario enim arteria hepatica et trun-

(1) *Grotanelli*. Observat. p. 155.

cus arteriae coeliacae se contraheret et sanguinis impetus in has partes diminueretur.

PROGNOSIS.

Splenitis chronica, etsi per longum tempus perferri potest, tamen inter morbos perniciosos numeranda est, quum saepe morbis secundariis supra commemoratis mortem adducat. Melior est prognosis, si splenitis adhuc recens et nondum inveterata est, melior in juvenibus quam in aetate provectis, mala si cum inflammationibus aut aliis partium vicinarum morbis complicata est. Affectiones hydropicae, quae inflammationi per longum tempus jam duranti accedunt, malum exitum indicant. Bona est prognosis, si crises supra commemoratae intrant, simulque symptomata gravissima et perniciosissima evanescere incipiunt, si habitus aegri melior fit, appetitus augetur, cibi assumti melius feruntur, si catamenia haemorrhoidesque antea suppressae fluere incipiunt, si somnus quietus restaurat aegrotum. Cavendum tamen est, ne aegrum, si reconvalescentiam intrat, sanum habeas, magna enim est semper in morbum recidendi propensio, et saepe imo levissimis causis inflammatio denuo procreatur.

CURA.

Primum morbi causae respiciendae et quantum fieri potest removendae sunt. Utatur aegrotus cibo

ex materia levissima, qui bene fertur, et digestioni non nocet, fugiat omnia spirituosa: vinum ustum, cerevisiam et omnis potus calefacientes et plethoram abdominalem augentes. Removeat deinde aegrotus omnes animi affectus, praecipue illos, qui vim deprimentem in animum exercent. Refrigeratio corporis, pedum praesertim semper vitanda est. Si febris et magna debilitas adest, quietem praeferat aegrotus, sin minus, quantum per vires potest, ambulet. In morbo adhuc recenti, aut si morbi exacerbatio adest, sanguinis detractio semper instituenda est. Detractiones sanguinis locales per hirudines aut per cucurbitulas in splenitide chronica plerumque majorem usum praebent quam venaesectio. In illis autem casibus, in quibus menstruorum aut haemorrhoidum fluxus suppressio morbum provocavit, applicatio hirudinum ad anum aut ad superiorem partem femorum valde prosunt. Semper autem in sanguinis detractioe cavendum est, ne nimis debilitetur aegrotus, quia tum plerumque in hydropem cadit. Obstructionem pertinacem laxantiis remediis levare omnes scriptores commendant. Quamquam *Bree* et nonnulli alii laxantia drastica et imprimis aloën, extractum colocynthidis, scammonium, jalappam salibus neutris praeferunt hanc ob causam, quia salia neutra digestionem nimis debilitent, plerique tamen auctores jure salia neutra pluris aestimant. Experientia quoque docet, nonnullas dejectiones assumtis salibus effectas multo majorem

relevationem sequi quam majorem copiam dejectionum remediis drasticis porrectarum, haec si omittuntur, statim relinquunt alvum tardam, illa per aliquod tempus adhuc solutam, et praeterea etiam detrimentum quod usus salium neutrorum in ventriculi et intestinorum functionem secum ducere *Bree* et nonnulli alii contenderunt, multi auctores nunquam viderunt. Aptissimum igitur esse videtur, a salibus levioribus, qui ab aegrotis facillime feruntur, incipere, deinde ad fortiora transire, si autem torpor tractus intestinorum maximus est, et salia non sufficiunt ad purgantia drastica confugere. Ferrum quoque interne assumptum veterum et recentiorum medicorum testimonio in splenitide chronica utilissimum se praebet. Veteres medici aquam bibere jubebant, in qua ferrum candens refrigeratum esset; nostris autem temporibus aquae minerales ferrum continentes saepe adhibentur. Inflammatione nondum inveterata, si lienis degenerationes non nimis magnae sunt, aquae minerales Spaa, Schwalbach, Pyrmont, induratis autem jam acinis lienis, si hepatitis et carnificatio jam adest fontes martiales Dryburg, Wiesbaden, Eger magis prosunt. Simulatque usu aquarum mineralium symptomata inflammationis augentur, prorsus eas seponi necesse est. — Cortex Chinae quoque cum salibus neutris conjunctus, quem *Chalmers* commendat, degeneratione non valde progressa interdum utilem se praebet. Si tumor lienis magnus et durus est, ab

auctoribus remedia quae resorptionem juvant commendantur, ut antimonialia et mercurialia, imprimis Aethiops antimonialis et Calomel, praeterea decocta et extracta herbarum resolventium, imprimis Cicutae. Ab nonnullis recentioribus scriptoribus Calomel eam ob causam plane rejicitur, quod inde serosa sanguinis secretio augeatur et, ut ita dicam, tam spongiosi organi quasi resolutio facile exoriat. Balnea calida praesertim, si tumor adest durus, valde prosunt praeterea frictiones, et fomentationes siccae in hypochondrio sinistro infractiones unguenti hydrargyri cinerei, emplastrum mercuriale cum Extracto Cicutae a veteribus auctoribus commendantur. Exorienti haematemesi prudentissime agendum, eaque nunquam nimis fortibus remediis sistenda est, tum solum si periculum adest ad sanguinis detractiones derivatorias, et ad clysmata irritantia refugiendum. Praeter aquam laurocerasi remedia in haematemesi non bene feruntur. Bibat autem aeger aquam mucosam, cui aliquid acidi sit adjectum.

VITAE CURRICULUM.

Natus sum *Henricus Arminius Mangold* Halberstadii die v. Junii a. MDCCCXI patre *Henrico*, matre e gente *Bethmann*, quibus adhuc viventibus ex animo gaudeo, confessioni addictus sum catholicae. Primis literarum elementis imbutus gymnasium quod Halberstadii directore *Cel. Maafs* floret, per novem annos frequentavi. Testimonio maturitatis instructus anno MDCCCXXI Berolinum petii et inter cives Instituti medico-chirurgici *Friderici - Guilelmiani* receptus hisce praelectionibus atque exercitationibus clinicis viro-

rum illustrissimorum et celeberrimorum per quadriennium interfui:

Cel. Wolff senioris, de hodegetice, logice et psychologia, *Ill. Link* de historia naturali, botanice et toxicologia, *Cel. Turte* de physice, chemia et pharmacia, *Beat. Hermbstaedt* de chemia et pharmacia, *Beat. Rudolphi* de osteologia, anatomia universa, anatomia foetus humani et organorum sensuum, de methodologia medicinae atque encyclopaedia, tandem de physiologia, *Ill. Schlemm* de splanchnologia et syndesmologia. In arte cadavera rite dissecandi *Beat. Rudolphi* una cum *Ill. Schlemm* magistri mihi fuerunt. Disserentes porro audivi *Cel. Eck* de physiologia, *Ill. Fr. Hufeland* de pathologia generali, semiotice, therapia tam generali quam speciali, *Ill. Horn* de pathologia speciali et de morbis syphiliticis et psychicis, *Ill. Osann* de materia medica et de auxilio hominibus repentino vitae periculo arreptis ferendo, *Cel. Casper* de arte formulas medicas con-

cinnandi et de medicina forensi, *Ill. Kluge* de arte fascias rite applicandi, de arte obstetricia, de chirurgia generali, de ossibus fractis et luxatis, de akiurgia, *Ill. Juengken* de akiurgia, de chirurgia speciali et de ophthalmiatrice, *Ill. Hecker* de *Celsi* libris atque *Burserii* institutionibus, *Cel. Froriep* de anatomia chirurgica. Nec defui exercitationibus practicis ad medicinam forensem.

Exercitationibus clinicis interfui medicis: *Ill. Bartels*, *Cel. Wolff* jun. et *Ill. Osann*, chirurgicis: *Ill. Rust* et *Nob. de Graefe*, ophthalmiatricis: *Ill. Juengken*, obstetriciis: *Ill. Kluge*.

Praeterea praelectiones ad artem veterinariam spectantes, *Cel. Gurlt* de zootomia, *Cel. Reckleben* de epizootiis et zoodiaeta, *Cel. Naumann* de equorum forma externa et habitu, *Cel. Hertwig* clinicum veterinarium frequentavi.

Quibus studiis peractis mense Augusto anni MDCCCXXXV medici inferioris munus,

quo per annum in nosocomio Caritatis Bero-
linensi fungor, mihi mandatum est.

Tentaminibus philosophico et medico exa-
mineque rigoroso absolutis, dissertatione the-
sibusque publice defensis, summos in medicina
et chirurgia honores ex facultate gratiosa
peto.

THESES DEFENDENDAE.

1. **Omnia graviditatis signa, seorsim spectata, fallacia.**
 2. **Signis acusticis in morbis pectoris accurate discernendis carere non possumus.**
 3. **Hydrargyri abusus eisdem morbos quos lues venerea gignit.**
 4. **Omnia vulnera pectoris penetrantia prima intentione sananda sunt.**
-

